

USR EMILIA-ROMAGNA – CUSL (CONSULTA UNIVERSITARIA DI STUDI LATINI)
CERTIFICAZIONE DELLE COMPETENZE IN LINGUA LATINA 2025

Test B2-seconda parte (traduzione)
Tradurre la sezione in corsivo
Svolgimento in 60 minuti

Summarium

Otho etiam privatus bellum detestatus est; sed ad suam vitam despiciendam concitatus est exemplo exitus manipularis militis cui, cum cladem exercitus nuntiaret, nemo fidem fecerat, adeo ut miles ipse sibi mortem consciverit. Ergo Otho quoque statuit sibi mortem consciscere, ne in periculum bene meritos homines coniceret. Certiores fecit de consilio suo binis codicillis sororem et Messalinam Neronis, quam matrimonio destinaverat, ei commendans reliquias et memoriam suas.

- 1 *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Laetus, tertiae decimae legionis tribunus*
- 2 *angusticlavius. Is mox referre crebro solebat, Othonem etiam privatum usque adeo*
- 3 *detestatum civilia arma, ut memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu*
- 4 *cohorruerit; nec concursurum cum Galba fuisse, nisi confideret sine bello rem transigi*
- 5 *posse; tunc ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum, qui cum*
- 6 *cladem exercitus nuntiaret nec cuiquam fidem faceret ac nunc mendaci nunc timoris,*
- 7 *quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes eius incubuerit. Hoc viso*
- 8 *proclamasse eum aiebat «non amplius se in periculum talis tamque bene meritos (milites)*
- 9 *coniecturum». Fratrem igitur fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus, ut sibi*
- 10 *quisque pro facultate consuleret, ab amplexu et osculo suo dimisit omnis, secretoque*
- 11 *capto binos codicillos exaravit, ad sororem consolatorios, et ad Messalinam Neronis,*
- 12 *quam matrimonio destinarat, commendans reliquias suas et memoriam. Quicquid deinde*
- 13 *epistularum erat, ne cui periculo aut noxae apud victorem forent, concremavit. Divisit et*
- 14 *pecunias domesticis ex copia praesenti.*